

D, D.  
*Cogitationes quædam*  
de  
**ANIMALIBUS HYBRIDIS,**

---

QUAS  
CONSENT. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PRÆSIDE  
**D:mo CAR. NICOL. HELLENIO,**

PHIL. ET MED. DOCT., OECON. PROF. REG. ET ORD. NEC NON REG.  
ACAD. SCIENT., SOC. PAT. HOLM. ET IMP. ACAD. NAT.  
CURIOS. MEMERO.

PRO LAUREA  
PUBLICO EXAMINI TRADIT

**JACOBUS JOHANNES HOLMBERG,**  
STIPEND. REG. SATAGUNDENSIS.

In Auditorio Mathematico die 24 Martii 1798.  
Horis a. m. confuetis.

---

ABOÆ  
In Officina FRENCKELLIANA.

# INSPECTOREN

*Högaktagd*

## *Herr ABRAHAM HOLMBERG.*

Min Huldaste Fader!

Med liffigaste fägnad nyttjar jag detta tilfälle at offentligen betyga min Huldaste Fader den tacksamma och sonliga vördnad hvaraf mit intre så länge lågat. Jag yet noglamt, det Eder ömhet och Edra välgerningar emot mig äro större, än at de af mig skulle kunna fullkomligeu beskrifvas. Men tillåten mig dock, ömmaste Fader, at til et ringa vedermäle af min upphörliga tacksamhet få tilägna Eder dessa blad, såsom en frukt af Eder mig bevista godhet. Den Högste göre min Hulde Faders dagar så många och glada, som mit hjerta önskar! hvarunder mit högsta bemödande skall blifva, at med barnslig vördnad framhärdas.

Min Huldaste Faders

Ödmjuklydigste Sen

JACOB JOHAN HOLMBERG.

Cogitationes  
de  
**ANIMALIBUS HYBRIDIS.**

Sed neque Centauri fuerunt neque tempore in ulla  
Esse queat duplice natura, corpore bino  
Ex alienigenis membris compacta potestas,  
Hinc illuc par vis ut non sic esse potis sit.

*Lucretius.*

**PRÆFATIO.**

**S**apientissimam Summi Numinis in Regno animali dispositionem, cuicunque in animo vel tantisper secum consideranti, illa Animalia inter cuncta oppido & ubique occurrunt amoris in suam speciem & tenerrimi affectus indicia, ut nulla alia quam mordacissimæ famis vi coacta, de mutuo suorum sodalitio develli posse videantur. Ex mutua hac animalium in suos propensione, quæ pacifica sunt & infirmiora, adversus valentiorum impetum tutamentum sibi pollicentur certissimum, quin & prædabunda auctas sibi vires ad robustissima quævis invadenda & ad-gredienda (a). Si igitur animalibus necessaria ubi-

A

qve

---

(a) Sic Ursus hybernaculo extrulitus, congregatis lupis voracibus præda fit, quod conterraneis meis aliquando observasse contigit.

qve suppeterent alimenta, vix ullum fortassis reperiretur, qvod non lubentius inter suæ speciei adfines placidam ageret vitam, eorumqve uteretur auxilio, qvam solitarium variis sese exponeret periculis, qvæ per sociatam forte plurium operam, magna ex parte possent evitari. Sed hæc nutrimenta, qvibus anqvirendis animalia ad suas in Oeconomia naturæ functiones, pro cuiusqve indole persiciendas adiunguntur, adeo sapienter sunt dispersa ac distributa, ut nullus per orbem locus ad ordinem & pulchritudinem conservandam, hæc sua desideret ministeria. Ubi plurium reqviritur opera, uberior & multis sufficiens adest alimentorum proventus: ubi vero esca parcus est distributa, ibi nec administratio reqviritur copiosa; unicum fini sufficere potest, ubi plura, præter necessitatem conglobata, fame torquenda forent, immo peritura. In hoc sapienti naturæ instituto, non vero in ullo propriæ speciei odio, qværenda est ratio, cur multis animalibus qvæsi injunctum sit a suis cognatis & similibus segregem degere vitam. Si tempus tantum respicere volumus, quo generis propagandi cura propelluntur, manifesta tenerrimi singulorum in suam speciem affectus adparebunt indicia. Hoc incitatus desiderio canis familiaris herum perdilectum relinquit, fami & siti sese exponit & amasiam per plura millaria sectatur &, præter alias molestias, voti compos non redditur, anteqvam rivalibus acri pugna superatis, sebolis robustæ & hand degeneris progeniei propagandæ jus sua qvæsi præcellentia vindicavit. Fringil-

gillam cælebem feminam deferere sub autumnum conjugem, saltem in his borealibus terris, ferunt & mitiorem querere auram; (ob qvam viduitatem temporariam tota species triviali nomine cælebs dicitur,) vere autem adpropinquante, generationis instinctui obsequus, conjugem relictum perquisitura redire festinat & garritu lætissimo recepta, prolis procreandæ caufsa jucundam subit copulam (*b*). Omnibus certe viventibus officium videtur maxime gratum & necessarium suam in propria specie peragere propagacionem. Huic ut satisfiat, animalia, quantumvis pro diversis functionibus dispersa, aliquando tamen ad suam colliguntur speciem, quæm blanda venus convocat, ab avara fame per orbem nuper dispersam (*c*). Aliqua tamen in sacro hoc naturæ præscripto interdum admittitur exceptio, dum animalia diversæ speciei & generis copulantur, unde proles existit utramque speciem evidenter referens, quæ ut a genuina, ejusdem scilicet speciei parentum, prole discernatur, hybrida dicitur, quasi stupro concepta. Rari quidem tales sunt casus, pariter atque alii, ubi solitum natura deferere videtur tramitem: sed nostram eo magis mereri videntur attentionem, quæ, si a præjudiciis fuerit remota, in œconomia naturæ illa ejusdem no-

A 2

bis

(*b*) Vid. a LINNÉ System, Nat. edit. XII. Tom. I. pag. 318.

(*c*) Vid. Libr. cit. pag. 18.

bis aperiet principia, quæ alias nos, omni forsitan tempore latuissent.

Ex iis, quæ de his animalibus apud naturæ ferutatores adnotata legere licuit, collatis cum observatione propria ad progeniem hybridam ex *Ove Arcticæ* cum femina *Cervi Capreoli* progenitam, quamque in plures dudum generationes propagatam apud D:m Præsidem vidi, regulas nonnullas communes, quas natura servare mihi videtur etiam quando confutum & stabilitum ordinem transgredi cogitur, his adferre pagellis constitui. Fateor lubens eam, quam dignitas argumenti requirit, brevi hac dissertatione præstari non potuisse perfectionem, sed generosa letorum indoles censuram omnino benignam conatu promittit, qui animum saltem prodit miracula naturæ rimantem & ulterioris in studio hoc nobilissimo progressus cupidum, quem apud juvenes favore semper incitare, nunquam vero rigore intempestivo in ipsis statim primordiis suffocare solent veri scientiæ naturalis amatores.

### §. I.

Propagationem animalium per commixtionem sexuum diversi generis aut speciei, legibus naturæ in hoc negotio communissime receptis, repugnare, longa & certa experientia convicti, primum inquire volumus, quibus casibus & momentis rerum hunc illas

illa sibi digressum permittat. Statim heic nobis patet, fieri hoc neutquam posse, nisi summa urgente necessitate. Hæc vero tum demum adest, ubi tempore copulationis alter sexus, sive masculus sive feminineus, ejusdem speciei desideratur. Quotiesne animalia in tali casu ad libidinem sedandam tentamina maxime absurdâ instituunt? Sic canis noster domesticus & Meleagris Gallopavo corpora etiam inanimata saepe adgrediuntur. Hoc igitur in fervore si sexus desideratus, etiamsi in diversa specie offenditur, fieri vix potest, quin magna cum vehementia in hunc impetum faciat sexus æstu venereo flagrans. Heic vero plurima adhuc occurrunt momenta, quæ copulam nihilominus impedire possunt. Necessum est, ut alter sexus eodem tempore eundem quoque sentiat impetum conjunctionis, quo nondum exorto, conatus æstuantis, quantumvis, pertinax, semper est irritus. Cuilibet animali, pro varia cujusque indole, ad negotium hoc inchoandum & consummandum certum provida natura tempus determinavit, extra quod, in statu saltim libero, desiderium ejusmodi vix excitari poterit. Diversis etiam animalium generibus organa genitalia diversimode sunt formata; unde etiam non sine causa quidam naturæ serutatores ex his partibus desumi posse putarunt signa generibus animalium discernendis idonea. Quamvis igitur hi diversarum specierum & generum sexus eandem etiam fortissimam sentirent conjunctionis cupiditatem, posita tamen nimia generis ac speciei diversitate, fieri non

poteſt, quin major ſtructuræ organorum genitalium diſimilitudo rem aut imposſibilem, aut diſſicillimam, certe ad concipiendum ineptam, reddat. In femineo præterea animalium ſexu certa cuivis fere ſpecie deſtinata ſunt gravitatis tempora, quibus evolutioni ſœtus & ſuccesſivum incrementum peragitur. Si etiam duo ſexus diverſarum ſpecierum, in quibus forte qualitates jam dictæ congruerent, in hoc tamen ad suas species nimium invenirentur diſparēs, ut e. g. in femina tempus gestationis ſœtusque evolutioni novem ad minimum menses ſibi depoſceret; maris autem conjux ex eadem ſpecie peculiariſ in hanc rem nonniſi dimidium ejusmodi temporis requireret, aut contra; nemo certe facile ſibi perſuadebit, plenius formatam & vivam ex tali congreſſu exiſtere poſſe prolem; niſi quis ſimul ſupponeret, naturam ſub hoc actu in utroque animali iñſignem ſubire mutationem, quod tam brevi temporis mora vix ac ne vix quidem fieri poſſe videtur.

Si ex commixtione igitur duorum diverſarū ſpeciei aut generis animalium proles unquam exspectabitur, evidentissimum eſſe videtur, quod præter caſum neceſſitatis, qui heic omnino adelle debet, animalia iſta proximam habeant cognationem, adeo ut ſtructura organorum genitalium, tempus in utroque libidinis exæſtuantis, & in matre gestationis ſœtusque evolutioni, in hunc finem exacte conſentiant. Experiments, quæ in Hirco & femina Cervi Capreoli hoc reſpeſt

respectu sunt instituta nihilominus testantur, quod, momenta licet jam nominata congruerent, haec conjunctionem venereum minime suscipere potuerint (*d*), dum ratio quædam accessoria Hirorum minus, quam Arietem, Capreæ redderet gratum, atque hic voti facile compos, eam familiae, jam per plures generaciones vigentis ac florentis, matrem efficeret. Causæ, ut in hoc exemplo videmus, vix perceptibiles copulam animalium diversæ generis & speciei, quantumvis cognatorum, impedire possunt. Nimius forte Hirci impetus & odor foetidus conatum ejus reddebat irritum, manifesto satis indicio, naturam copulationem ejusmodi peregrinam sollicitate præcavere, neque nisi ad leges accuratissimas rarissime admittere.

## §. 2.

Ex allatis observationibus veriora fortassis de pluribus speciebus animalium hybridis, quæ tum pri-  
scis, tum nostris temporibus commemorantur, ferri possunt judicia. Quis enim inde non perficit conjunctionem animalium diversæ Classis prorsus esse impossibilem, atque, si quando inter illa agitatio huic negotio ex parte similis observaretur, hanc majori lasciviae seu libidinis gradui, qui, ut antea indicavimus. ad corpora etiam inanimata furoris restinguendi

(d) Vid. Svenska Vetensk. Acad. Nya Handl., Tom. XI. pag. 289.

di caussa insultanda impellit, esse tribuendam. **E**xpli-  
cari hoc modo aptissime poterit copulatio, quam  
inter cuniculum & gallinam, animalia Classem di-  
versarum, institutam Celeb. REAUMUR memorat (e).  
Cuniculi quidem non minus, quam canes, inter gal-  
linas & alias aves domesticas, petulantes & gestibus  
vehementissimum coëundi desiderium denotantibus lu-  
dentes inveniuntur: sed copula tamen, natura illam  
quam efficacissime renuente, minime locum obtinet.  
Gallinæ quoque interdum, non aliis maribus, quam  
eanibus & cuniculis, admixtae ova ponere solent,  
quod ad conjunctionem ejusmodi defendendam adfer-  
ri posset: sed hæc ova ὑπνέμια seu irrita sunt, quæ,  
teste PLINIO (f) avium feminæ mutua inter se libidi-  
nis imaginatione pariunt.

Facilius credi posset copulatio inter sexus ani-  
malium ejusdem classis; unde non reveriti sunt plura  
horrenda fingere monstra, ex detestando hominum  
cum feminis ejusdem animalium Clasis, quamvis di-  
versi generis & ordinis coitu, orta, e. g. hominis & equæ,  
unde fortassis suos Hippocentauros deduxerunt ve-  
teres (g); nec non hominis & vaccæ (h) immo ca-  
præ

(e) Vid. Ejusd. Art de faire eclorre les poulets, Tom;  
II. pag. 340 & sqq.

(f) PLIN. Nat. Hist. edit. Franzii. Libr. X. Cap. 80. p. 174.

(g) PLIN. supra nominatæ, edit. Libr. VII. Cap. III. p. 42.

(h) Vid. STORCH Kinderkrankheiten, pag. 16.

præ (i). Sed quis ad naturam vel paululum atten-  
dens non perspicit fortissima ejusmodi commixtioni  
& inde fecuturæ conceptioni naturaliter opposita esse  
impedimenta? Monstra horum animalium, quæ ludenti  
imaginationi partium quarundam similitudinem, e. g.  
capitis vituli cum humano, obtulerunt, figmentis talibus  
procul dubio dederunt occasionem. Rumores de  
vitulis, cum humano capite ejusque tegumentis, quæ  
hominibus superstitionis ornatum mulierum referre  
putantur, & in quibus ignarum vulgus manum Dei,  
luxum vestium hodiernum perstringentem agnoscere  
sibi videtur, nostra etiam ætate non desunt. Ut ve-  
ro monstra hæc vitulorum antegressam hominis cum  
vacca copulam abominandam arguere nequeunt: ita  
nec hybri, quos adduximus, partus ab hominibus  
ulla ratione possunt derivari. Specimina enim, si  
quæ fuerint, progeniei hybri hujusmodi connubii  
venditata, pariter ac de monstribus hisce vitulinis evi-  
ctum est, ea aut violentiæ cuidam sub ipso partu,  
aut nævis, tempore gestationis quacunque ex caussa  
fœtui additis, suam forte debent originem. Pari mo-  
do etiam explicari poterit proles, quæ ortum inde  
habere prohibetur, quod sexus inter homines femi-  
neus a maribus ferarum ad copulam fuerit coactus;  
quemadmodum e. g. de puella quadam narratur Sve-  
cana, quæ, per violentam cum ursi copulam gravi-

B

da,

(i) Vid. ELIANI Animalia, Libr. IV. Cap. 41.

da, filium peperisse dicitur, qui adulta ætate præter insolitum artuum robur, aliis etiam qualitatibus indolem patris indicaverit (*k*). Tota fortassis hæc fabula insolitæ hujus juvénis fortitudini est tribuenda, quæ, ex præjudiciis istius ævi, non nisi a fonte ita absculo derivari posse videbatur; maxime cum in terris hisce borealibus aliud animal, hominem viribus corporis superans, non esset cognitum. Si corpus etiam juvenis pilis, præter consuetudinem, obtetum, & facies, ad suspicionem firmandam, ursina quadam specie notata fuerit, (quæ hodierno etiam tempore adfectiones robustos arguunt artus), facillima sane fuit conjectura, quod is urso esset progenitus. Qui vero feram ursi indolem ejusque infestum adversus homines sub æstu venereo odium perpendit, talem utique ejus cum homine conjunctionem admittere neutiquam poterit; si vel maxime impedimentorum physicorum, quæ commixtionem ejusmodi inter hæc animalia prorsus reddunt impossibilem, fuerit ignarus. Copula, quæ inter mares simiarum ferarum & sexum humanum femininum perhibetur, & per quam Anthropomorphæ, quas dicunt, procreatæ feruntur (*l*), primo forte intuitu magis videri poterit probabilis, præsertim quia mares simi-

(*k*) Vid. Saxon. Grammatici Danor. Hist., Edit. Basiliæ 1534. Libr. X. pag. 97.

(*l*) Vid. ZUCCHELLI Relat. di Congo. p. 148.

¶ 11 ¶

simiarum in sexum aliquando muliebrem libidine ex-  
ardescere certo narratur; & simiae structura corporis ad hominem proxime accedunt (*m*). At postquam ab inquisitoribus naturae liquido est ostensum,  
Anthropomorphas structura corporis interna ne minimum quidem ab aliis simiis differre (*n*), & exter-  
ternas qualitates perpaucas, quibus ad similitudinem  
hominis proprius accedere videntur, unice in illum  
finem illis esse datas, ut catena, qua res creatas  
natura jungit, aliquo saltim minueretur articulo, quæ  
tamen nuspam longius protracta videtur, quam heic  
inter rationem & instinctum, & quæ plura sunt di-  
scrimina: & præterea concordi peregrinatorum nar-  
ratione notum est, feminas, a simiis sub æstu vio-  
lenter correptas, misere semper fuisse necatas (*o*):  
existentiam hybridorum animalium ab ejus modi pa-  
rentibus natorum vix ullus specie quadam probabi-  
litatis agnoscet.

B 2

Ara-

---

(*m*) Vid. Dissert. de Anthropomorphis Præf. Illustr. a LINNÉ anno MDCCLX editam.

(*n*) Vid. EUSTCHIUM per totum fere examen ossium & cfr. D'AUBENTON in Mémoire de l'Acad. des Sc. de Paris 1764, pag. 568. & seqq.

(*o*) WIELAND advers. ROUSSEAU in Beytr. zur geh. Gesch. de M. V. U. H. II. p. 50. seqq.

Arabes interdum cum feminis *Tricheci Manati* modo abominando consuescere pariter narrari solet (p). Sed quamvis probabilis forte hæc videri posset suspicio, ob conjunctionis modum in his animalibus humano similem, magnamque structuræ organorum genitalium in sexu utriusque generis femineo conformitatem: vana tamen cuiusvis, singularem vivendi rationem horum animalium proprius inspicienti, apparebit. In aquis vivunt hæc animalia, & per auditum subtilem adeo sunt pavida, ut ad minimum strepitum aquæ sese immergant. Vitam etiam degunt monogamam, qua mas feminam amore tenuerrimo amplectitur, ut potius se necari permittat, quam illam deserat, unde etiam cruentæ inter mares hujus speciei sæpiissime exoriuntur pugnæ (q). Num rebus sic stantibus abominandum tale adulterium locum habebit? Atque etiam, si delictum adeo detestandum ab Arabibus committi posset, progeniem tamen satis formatam impedit tempus gestationis annum feminæ *Tricheci Manati* determinatum.

Sed

(p) Vid. Recueil de Questions proposées à une soc. de Savans qui font voyage à l'Arabie, par M;r MICHAELIS, pag. 139.

(q) Vid. BOROWSKI Natur-Gesch. des Thierreichs, STELERS Meerthieren & alios, qui horum animalium Hist. tradiderunt Naturalem.

Sed ulterior forte argumenti hujus horrendi explicatio jam relinquenda, ut traditas bruta inter animalia commixtiones & ortos inde partus hybridos, ubi moralia saltem non obstant impedimenta, penitus examinare liceat. Inter hos *Zumari* forte famosi primum habebunt locum. Origo horum ex coniubiis *Tauri* cum *Equa* (r) aut *Tauri* cum *Afina* (s) aut *Equi* cum *Vacca* (t) deduci solet. Longiores horum animalium descriptiones, figuris etiam atque determinatis per varia orbis loca domiciliis firmatae (u), id effecerunt, ut existentiam eorum in dubium vocare haud ita pridem vix auderent Philosophiae Naturalis cultores sagacissimi, quamvis tum copulam dictorum animalium, tum sobolem inde formandam efficacissimis naturae obstaculis impediri facile perspicerent. Virorum autem de Historia Naturali optime meritorum, D:ni BONNET & SPALANZANI diligentiae fatigari nesciæ certior, quam de his animalibus jam habemus, debetur cognitio. Constanti enim eorum rogatu Cardinalis *delle LAN-*

B 3

(r) Vid. P. ZACHLE Quæst. Medico Legales, Tom. I. p. 533.

(s) BOURGVET Lettres Philos. IV. pag. 160. sqq.

(t) VENETTE p. 324.

(u) Vid. Hist. generale des Eglises Evangeliques de Vallées de Piemont ou Vaudoises. a Leyde 1667 in fol. p. 7. repet. in Almanach de Gotha 1767. p. 63.

LANZE plures Jumaros a diversis locis conquistos peritisimorum Anatomicorum industria explorandos curavit (*x*), qui partium etiam internarum exactissimas tabulas reliquerunt anatomicas; ex quibus evidenter patet, nullam illis inesse similitudinem generis vaccini, sed omnia referre genus equinum, unde ideo origo quoque derivanda.

Ex observatione viri Meritissimi, D:ni Doctoris OSBECK, nostratis, qui mores *Simiae Aygulæ* describit, quod nempe propioribus destituta sociis lusum cum canibus instituat (*y*), plures opinati sunt, laudatum hunc naturæ scrutatorem simiarum & canum copulam velut rem suis visam oculis narrasse, atque ita judicasse possibilem. Qui vero, linguæ satis gnarus, locum hunc legit ab auctoribus citatum, ne minimam quidem ita cogitandi rationem invenit. Nihil enim aliud heic D. D. OSBECK exprimere voluit, quam, quod ex tota periodo manifestum sit, simiam hanc quæ ab initio forte captivitatis suæ statum ægre fert solitarium, ad hominum & simiarum sibi similium præsentiam ludendo suam prodere lætitiam, atque, his destitutam, pari delectatione canes excipere factos sibi familiares. Canum præ-

(*x*) Vid. BONNETI ad SPALLANZ. Epist. in Mem. sopra i Muli. p. 11. sq. Encyclop. par de FELICE. Tom. XXV. p. 242.

(*y*) Vid. OSBECKS Dagbok öfver en Ostindisk resa. p. 99.

præterea & simiarum huic rei destinata organa tan-  
topere sunt dissimilia, ut conjunctio horum anima-  
lium sexualis, ne per imaginationem quidem con-  
cipi posse videatur.

Ipsa hostilitas, quæ *Feles* & *Canes* naturali quo-  
dam sensu disjungit, impossibilem inter hæc anima-  
lia esse tales conjunctionem satis ostendere cuique  
videretur: sed exempla tamen hanc pleno cum ef-  
fectu observatam affirmantia, adferri solent (z). Ve-  
rū quidem est, quod hæc aversio naturalis inter  
hæc animantia, imprimis cieurata & domestica fa-  
cta, valde mītigari quandoque soleat, ut ex eodem  
vesci vaseulo, in eodem jacere cubili & familiari-  
ter colludere conspiciantur: sed perfectam & proli-  
ficam sc̄ institui non posse copulationem, diversa  
membrorum genitalium in his animantibus con-  
structio, dissimilis coēundi ratio, & tempus gesta-  
tionis dispar, utpote quod in fele semper quam in  
cane brevius est, manifesto evincunt. Porro *Lupus*  
etiam cum *Lepore* (a) & *Felis* cum *Mure* (b) co-  
pulam inire perhibetur. Sed ministeria, quæ in  
Œconomia naturæ universali tum lupo tum feli sunt  
adsignata, fabulam hanc perabsurdam valide refellunt.

Lu-

(z) Vid. VERATTI Galer. di Minerv. Tom. VII. 67.

(a) Vid. KALMS WästG. och Bohuslånska resa. p. 236.

(b) Cfr. JOH. LOCKE de L'entendem. L. III. Cap. 6.

Lupus in lepore ut & felis in mure, præcipuas invenit delicias, ut pro sua quisque parte & facultate hæc animalia destruat nimiamque eorum præcaveat multiplicationem. Num igitur reconciliatio & concordia ejusmodi inter hæc animantia locum unquam habere poterit, quæ tali occasionem dare posset tentamini, quod tamen ob cognitionem nimis distantem & deficientem partium generationi destinatarum proportionem, vanum semper erit atque irritum? Similis in *Cuniculis & Felibus* coëundi modus non modo conjunctionem horum possibilem credendi, sed etiam ex hac opinione eandem velut actu observatam narrandi ansam dedit (c) Hanc tamen conclusionem, nimis properam & observationem vitiosam fuisse facile colligitur ex œconomia naturæ, in qua felis cuniculorum pariter ac murium constituta est moderatrix prævalidæ propagationis; ut taceam *Cuniculos* non proprius quam mures ad felinam attingere corporis strukturam.

Sed in copulis & partibus animalium hybridis sicutis commemorandis ac refellendis diutius forte, quam par erat, versati sumus. Desistimus igitur, hac addita admonitione, quod exempla ejusdem indolis aut a nobis præterita aut in posterum, nova velut inventa, proferenda, pari fortassis modo iisdemque ex fundamentis examinari possint ac debeant.

§ 3.

---

(c) Vid. Eirch. I. pag. 393. citat. ab HALLERO in Elem. Physiol. T. VIII. pag. 8.

## §. 3.

Tot vero conjunctionibus animalium diversæ co-gnationis, non sine causa rejectis, utpote quæ ludenti imaginationi, absconas sœpe similitudines duorum diversi generis animalium in uno fœtu observanti & inde figuram similem parentibus genere aut ordine diversissimis attribuenti, maxima ex parte debent originem: quæri omnino poterit, an coitus unquam ambigenus a natura permittatur, & an partus inde hybridus revera existere queat? Ostendimus supra ca-fus, quibus copula talis probabiliter admitti posse. His igitur congruentibus & facto testibus fidè dignis firmato, vera eorundem existentia in dubium vocari nequit. Ex hoc fundamento communi creditur as-sensu, quod Eqvus Afinam inire posse & quod ex hac commixtione fœtus producatur hybridus nomine *Hinnus*; & quod Asino pariter Equam ineunte gene-retetur proles, ab Hinno qualitatibus nonnullis diffe-rens, cui nomen sit *Mulus*. Sunt hæc animalia inter-se, ut species tantum ejusdem generis distincta & or-ganis generationis invicem adeo adcommodata, ut se-licet hujus negotii, si modo suscipitur, successum ni-hil impedit. Idem valet judicium de connubiis, quæ aliquando observata dicuntur inter Elaphos & Alces cervini generis (*d*), lupos & canes pluresque aves & belvas, eodem genere comprehensas (*e*). Copulam hanc

C

in-

(*d*) Vid. *Brefl Saml.* anni 1723. m. Octobr.

(*e*) CARDANI Subtil. pag. 304.

institui posse indubium est: quæritur tantum utrum velut experimentis & observationibus fide dignis confirmata jam aut in posterum admitti possit. Manifesta satis exempla docent, naturam inter sexus diversorum generum atque adeo in cognatione magis distante permittere connubia, ubi e. g. Hircus experientia teste, deficiente conjugé naturali, capra, ovi seminet & semina Cervi Capreoli, mari suo destituta Arietem elitit. Sed observandum omnino, animalia hæc, in systematibus licet Zoologicis genere & specie diversa, in ordine tamen naturali, seu catena, qua animalia nexu non interrupto natura conjunxit, adeo exacto & propinquo colligata esse vinculo, ut in partibus saltem generi propagando dicatis & reliqua haec spectante naturæ Oeconomia, ne minima quidem in illis difformitas inveniatur. Utrum vero proles sic progenita ad speciem ulterius propagandam apta sit, an vero natura eandem, commissum quasi erratum corrigens, perpetua multaverit sterilitate, inter mystas naturæ nondum plane convenit. Posteriorem plerique fovent opinionem, Creatoris sic agnoscentes providentiam, nimiam specierum multiplicationem hoc modo præcaventem. Docente vero experientia indubia, plures ejusmodi partus in multis generatio-nes vere fuisse propagatos, quod antiquioribus dudum in mulis est compertum (*f*), ad tempus licet a recentioribus sit negatum, res experimentis certissimis

extra

extra controversiam est collocata. Quamvis hoc Illustr. BUFFONIO non successerit, ut lupum cane femina generationis caussa copularet: experientia tamen haud dubia constat, hæc copulam inire animalia & prolificos etiam edere fœtus. Göttingæ Celeb. BLUMENBACHIO teste, neptis inventa est (& ab ea nati plures pronepotes) vulpis, a cane familiari gravida factæ, in qua frons plana aliaque avitæ formæ vestigia apparuerunt (*g*). Oves nostras Fennicas, pilis rigidis & longis præditas, prolem esse commixtam hirci & ovis magna omnino probabilitate suspicimus. Has vero misceri interdum & fœtus producere ovibus fennicis persimiles vulgaris testatur experientia. Progenita apud Praesidem meum proles Arietis & Capreæ, per plures generationes est aucta, quæ progenies cum genero ovino ita est commixta, ut vix signo quodam amplius ab ovibus discernatur (*h*). Aves hybridas prolificas esse experimenta docent SPRENGERI hunc in finem instituta (*i*). Maxime igitur probabile est, prolem omnem hybridam pariter atque in exemplis allatis propagari posse; maxime cum organis prædicta sit huic fini a natura destinatis, quam nihil frustra agere certo novimus. Exempla animalium hybridorum quæ nulla prole genus propagaverint, sententiam hanc minime refellunt. Experimen-

ta

(*g*) Vid. Ejus. Libr. De varietate Gen. Human. nativa. p. 10.

(*b*) Vid. Sv. Vet. Acad. Nya Handl. Tom. XV. pag. 35.

(*i*) Vid. Opusc. i physico Mathemat. Hanov. 1753. p. 27. fqq.

ta in his instituta sorte fuerunt per coactionem vel sub  
 sensu captivitatis seu adeintæ libertatis, quo in statu  
 plura animalia ne quidem ad copulam cum propriæ  
 speciei conjugibus ineundam compelli poterunt. In tali-  
 bus experimentis tuto contendimus illa, si libertate debita  
 gavisa & sibi relicta fuissent, instinctum utique genera-  
 tionis una cum organis a natura datum sensura fuisse &  
 in actum deductura. Si enim hybrida hæc animalia  
 genuinis iunctis organis, quæ ne rigidissima qui-  
 dem illis denegabit inquisitio anatomica, hæc omnino  
 ad genus propagandum sunt concepta, cui tamen nego-  
 tio naturæ Curiosi, ipsa sub investigatione, contra om-  
 nem scopum, fortissima ipsi fortassis haud raro objiciunt  
 impedimenta. Multiplicatio tamen specierum in infinitum  
 inde non est metuenda: talis enim copulatio, ut  
 antea monitum fuit, non nisi in summa necessitatibus casu  
 admittitur, qui animalibus in libero eorum statu non cre-  
 brius accidere potest, quam ubi tenerrimæ suæ curæ,  
 ut ministeria animalium nullo per totum orbem loco de-  
 fiderentur, prodit natura specimen: qui tamen defectus  
 necessario sentiretur, si duo sexus diversæ speciei, soli  
 quodam loco consisterent a suis comparibus prorsus se-  
 parati, neque ad propagationem apti forent, sed sua  
 cum existentia operam ab ipsis in œconomia naturæ  
 ibidem exspectatam simul finirent. Sed hæc hactenus  
 proposito nostro sufficient; manum igitur de tabula.